



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Toletana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67277)



PROVINCIA TOLETANA.



IN Professorum Toletana domo quadraginta quinque: Sacerdotes viginti tres, reliqui domesticis occupantur. Matrivi octo supra nonaginta: septem & triginta Sacerdotes, ex ijs quinque Grammaticæ & Humanitatis studia moderantur: domesticæ administrationi vacant cæteri. In Collegio Complutensi cum pagis duobus tres & nonaginta: viginti quatuor Sacerdotes Theologiam docent, Scholasticam duo, Positivam tertius, quartus moralem, præter hos vnus Grammaticam in Halcarnerenfi docet, Scholastici triginta; qui supersunt rem domesticam curant. In Murano quatuor supra sexaginta: Sacerdotes viginti, ex quibus Theologica doctrina occupantur tres, vnus præterea Philosophica, alter cum duobus fratribus literis humanioribus tradendis, Theologiæ auditores septemdecim: Philosophiæ tres: reliqui exterioribus inserviunt. Villæ-regiæ septuaginta degunt: sedecim Sacerdotes, tyrones quadraginta, cæteri in domesticis laborant. In Belmontano tres & viginti: Sacerdotes decem ex ijs literas humaniores docent, quibus accedit in munere quartus non Sacerdos: domesticis vacant reliqui.

reliqui. In Huetensi vndetriginta: nouem Sacerdotes; quorum vnus Seminarium, duo Gymnasia humaniorum literarum moderantur, quos iuuat vnus è Fratribus. Octo Seminarij sunt alumni; cæteri domestica negotia gerunt. In Toletano & Talabricano tredecim: septem Sacerdotes; ex ijs tres iuuentutem latinis literis erudiunt, obeunt idem munus fratres duo, cæteri coadiutores sunt domestici. In Conchensi decem: Sacerdotes quatuor, qui supersunt tractant domestica. In Caruacensi sedecim: sex Presbiteri, vnus Grammaticam docet, reliqui domus curam administrant. Totidem sunt in Securitano, Sacerdotum & fratrum numerus par, ex fratribus vnus docet Grammaticam. Triginta octo Oropefanum alit Collegium: duodecim sacerdotes, vnus Theologiam Moralem docet (Casus vocant) tres verò Philosophiam, ex Fratribus Grammaticam & humaniores disciplinas totidem; Philosophiæ & Dialecticæ nauant operam vndecim, cæteri rei domesticæ student. Sunt in Placentino quatuor & viginti: vndecim Sacerdotes, duo docent, alter moralem Theologiam, latinam linguam alius, cui fratres duo sunt comites, reliquus coadiutorum est numerus. Ocania vnus & viginti morantur: vnus Theologiam morum, duo humaniores literas docendo tractant ex vndecim Sacerdotibus. His duobus accedit quidam è fratribus, cæteri domestica obeunt ministeria. Desiderati sunt septemdecim, Sacerdotes octo, reliqui non Sacerdotes: recepti in Societatem viginti duo.

P R O

PROFESSORVM

TOLETANA

DOMVS.

VERTENTE anno noui concionatoris aduentu ciuium animi Societati plurimum sunt conciliati, quos spiritualis vtilitas maior est consecuta. Nam præter laudabilem confessionum & sacrae Synaxis vsum frequentiore; crebro ad Nostros consilij causâ pro rebus maximis ventum est. Quidam non vulgaris notæ vir, addo etiam templi, maximi nobilis minister, cum in lethalem morbum incidisset; nec impetrari ab eo multorum Religiosorum hortatu posset, vt peccata confiteretur, ita res manarunt in vulgus, vt Archiepiscopi Vicarius officij causâ quemdam ex Nostros ad illum commonendum miserit: it ille, ac redit: multa molitur, nihil proficit; persistit tamen; hortando, permulcendo, hominem allicit, vt se exorari, & conscientiam exonerari sinat, respiscit Dei gratia, & cunctis quæ ad animum attinebant constitutis optato euentu migrat è vita. Multis multæ peccandi turpiter Nostrorum industria occasiones ereptæ è manibus: eiectæ pellices, & in triuijs publicis intempesta nocte sublata. Extincta diffidia illud præter cætera, quod quidam in rixa cum alapam alteri impegisset viro non ignobili in vincula coniectus traductione publica, exilio, manus truncatione damnatus, rogatu nostro ab omni supplicio est liberatus: exilium tamen quo minus subiret impetrari non debuit, ne præsentem iniuriam quatuor læsi robustissimi filij non ferentes, in illum grauius sequerent, maiusque periculum crearetur.

MA

MATRITANVM COLLEGIVM.



EX AEDIFICATVR ea Collegij pars, quæ ad scholas pertinet, cuius fabricam Rex ac viri Nobiles quatuor aureorum millibus hoc anno inuerunt. Scholasticorum secularium numerus 750. fuit. Annunciatae alumni perimulti, plures longe futuri si locus caperet: capiet autem scholis confectis; Coenobijs nomē dederunt triginta. Noui ædificij fornices, & scalæ ad superiorem domum constructæ, tum etiam præ triclinio aula permaxima, quadrato opere adiecta: quam in rem mille quingentorum aureorum summam quorundam liberalitas largita est: sunt etiam Reliquiæ perhonestè collocatæ: sacrae vestes auctæ: sumptus mille aureorum fuit ex amicorum largitione. Quatuor è Nostris concionati sunt, partim domi in regia, partim in coenobio Virginum ad Philippi secundi sororem Augustam; alij postremò, quò Senatus regij auditores concionum gratiâ conuenire solent. Ex ijs non exiguus fructus perceptus, sedatæ lites, sublata dissidia, graues iniuriæ Nostrorum opera condonatae. Itum frequenter ad puerorum scholas, quæ numero sunt triginta, deductæque in publicum diebus festis cum catechesi, & adhortationibus ad populum æquè magna cum curiæ admiratione ac fructu. Præ egestate puella quædam periclitabatur, è quibus angustijs, piorum Nostris authoribus largitione liberata est.

MISSIONES duæ Illustrissimo Toletanæ Ecclesiæ Præsule postulante in varias diocesis partes susceptæ, ubi in catechesi, concionibus, confessionibus totius vitæ,

vita, in eo præfertim oppido, (Archiepiscopi pontem vocant) aditum ad Ceciliam Gimillinam, hodie Guadalupe, peregrinis frequentissimam, atque adeo illorum auxiliij, & curationis egentissimam; quatuor è Nostris ibidem perquam vtiliter sunt versati. Pax inter multos constituta: quo in genere cum quidam acerbissimas iras gererent: vocatusque ex curia Iudex vindictæ causa: rem ut moris est vellet exquirere, eosque punire, in summam concordiam Nostrorum diligentia ventum est. In altera diœcesis parte multis pagis, villis, oppidulis frequenti, montibus, gelu, niuibus asperrima, barbarica, inculta, re frumentaria, victu, doctrina destituta, intestinis odijs diuisa, omni in genere summa patientia non exiguo fructu est à Nostris laboratum.

COMPLVTENSE

COLLEGIUM.



V A E de Nostrorum officio in hoc Collegio dici possunt equè sunt magna ac annis superioribus. Accessit ex frequentibus grauibusc; nostris concionibus præter cætera spirituum exercitationum vsus, frequentia, in sexaginta præfertim, qui instituto in melius commutato, partim religiosa vitæ se consecrarunt in Societate decem magnæ ipsi adolescentes ex Philosophiæ curriculo: partim vitæ rationem salubriorem inierunt, admirantes constans, ac ratum Societatis in iuuandis hominibus studium. Venerat Complutum quidam vlciscendæ iniuriæ, animo satis nescio an etiam corpore armatus: nostri tamen Concionatoris oratione arma, iniuriam, peccata denique ad cuiusdam è Nostris pedes deposuit.

ILLVSTRISSIMVS Toletanus eam de Societate

tate opinionem concepit, vt dicecesi benè consultum putaret si per Nostros eam lustrasset: impetrauit ad id muneris, quot potuit ex hoc Collegio. Duo, qui magnam partem peragrantes, ea loca adierunt, quos nulla Nostri attigerat ferè notitia, tam vtiliter laborarunt concionando, vt in pagis oppidisque, ne dicam in vrbibus, ferè nullus reliquus fuerit, quin eluerit peccata. Multa etiam anteaetæ vitæ quinquagenaria, sexagenaria, ac diuturniore etiam confessione, partim consolationis, partim nullitatis causâ repetita, adeo vt summo mane euigilandum fuerit, ac ad multam noctem pernoctandum, tantus erat hominum concursus.

IN Naualcarnerensi, vbi Nostri resident, pestifera contagione, quæ annum ferè durauit, grassante magna, tum laborandi, tum percipiendi fructus oblata occasio: fauiente enim lue, in diesque crescente, ita creuit Nostrorum animus, vt nullum quamuis apertissimum periculum magna cum populi tum admiratione, tum existimatione Societatis non adierint, quo in discrimine è Nostris duo ad mercedem capiendam vocati sunt.

MVRCIANVM, SE- CVRITANVM, ET Carauacense.



VAE generatim dicta sunt, in hoc Collegio fuerunt valde singularia: Compluuium statim à vestibulo Collegij ingredientibus obuium, quadrato lapide latis commodè constructum est ex quorundam beneficentia: sicut centum quinquaginta nummis aureis. Impiè ac turpes cantilenæ, pijs, ac honestis Nostrorum industria magno

pueritiæ exemplo per totam Urbem commutata. Ex ciuium Annunciata Sodalitio magnum subsidium in victos emanauit, nam & quotidianum victum illis præstitit, & permultos ære alieno in carcere detentos soluta pecunia liberauit. De Securitano nihil præter solitum noui, Grammatica tamen tradi coepit ab vno Nostrorum, magno fructu. In Caruacensi multi sunt egestate summa liberati, pecunia per Nostros collecta.

COLLEGIUM

VILLAE-REGIAE.



VOD noui ex hac Probationis domo, præter eximium tyronum progressum, & obitum P. Ferdinandi Mendoça, Marchionis Canneti Fratris, scribam nihil habeo: tamen hic eiusmodi fuit vt commendari iure Societati debeat. Is enim decem & octo annos natus, tanto exarsit eius desiderio, vt multis redditibus, spe etiam plurimorum relictis in eam fuerit cooptatus. Quamdiu vixit magno omnibus exemplo fuit, ætate præcipuè grandiori: iuuuit semper plurimum Societatem pecunia ad centum mille aureos, labore vsque ad Peruanam Prouinciam, vbi & Limani collegij Rector per quadriennium, post ad triennium ibidem concionando, & audiendis confessionibus zelum diuini honoris & amorem in Societatem satis ostendit. Obedientia coactus in Hispaniam redijt, nisi cogeretur non rediturus; tanto tenebatur conuersionis illius gentis studio. Huc se ille quinquagenarius non intermisso labore superioris voluntate collegit, vbi acerbissimo stomachi dolore magno toti Prouinciæ sui desiderio relicto vita decessit.

COL

COLLEGIUM

BELMONTANVM.

RES est eo statu quo annis superioribus: sacrae vestes auctae sunt ad sexcentos nummos aureos, Marchionissae Mondesacensis dono. Disiunxerat ciuium animos grauis iniuria quae iam iam ad rigidum exquisitoris iudicium deducenda, multa multis incommoda minabatur; sed diuino beneficio per quemdam ex Nostris in gratiam redierunt. Coaceruarat quidam aliquantam pecuniam cuius augendae spe negociari studebat, ludo negociari paulatim cepit, quoad totam perdidit; ac intempesta nocte rebus penè desperatis domum è ludo regressum, quidam equa vectus veloci cursu consequitur; ac hominem proprio compellans nomine, heus tu, inquit, ascende huc à tergo venatum ibimus: comitabantur autem equitem venatici canes non pauci. Miratus ille se ab equite appellari minimè noto, mediaque nocte & Quadragesima venatum inuitari, paululum ad parietem declinans carri temone conscenso, Non ego hac hora venatum, respondit, Tunc ille huc illue agitata equa peruolabat; necnon & gallicus canis perniciosissimo saltu temonem in sublime erectum intacto fessore traiecit; eques verò citato cursu via decliui subito euauit. Remansit lusor, sed non satis sui compos, nec prius ad se redijt, quam cum vno è Nostris communicata confessione conscientiam eluit.

CONCHENSE ET OPTENSE.

NIVRIIS remittendis plurimum & non sine vtilitate à Nostris laboratum est. Quidam virum Ecclesiastica dignitate & genere nobilem, valde sibi de impetenda vxore suspectum, è medio tollere moliebatur: idque per nebulones remotis è locis conductos operam dabat, qui captandam rei, magno ciuitatis malo, gerendæ occasionem ad vigesimum diem prolatarunt. Deus tamen (vt benignus est ac misericors) meliora: nostra enim concione vsque adeo maritum permouit, vt & consilij suscepti valde poenituerit, & assassinis dimissis, ab incepto destiterit. Bona foemina marito orbata famulo proprio rei augedæ negotiationem tradiderat, abuti ille licentia, abutendæ etiam dominæ, occidendæ, furandæ postremò pecuniæ rationem inierat. Feriæ quintæ in Coena Domini, multam noctem (quo tempore mysterij Christi ad columnam publica pompa celebratur) ad rem aggrediendam designauerat; qui sciret dominam sese modestiæ causa domi continere solitam: stricta ergo sica dormientem aggreditur: excitat, impotentem libidinem exponit. Principiò illa ad sese ex insania redeat hortatur blandè, deinde excitatæ famulæ accurrunt, rationibus interpellant: ascitur vicinus ciuis, eius opera Prætoris ministri conueniunt; in vincula effrænatum iuuenem conijciunt. Concurfatur huc illuc à cognatis adolescentis pro infami supplicio deprecando, nihil agitur: ad Nostrorum intercessionem ventum est, neque impetrari aliud debuit quàm iniuriæ & pecuniæ condonatio. Non adeò dissimili in re à viro nobili domus,

mus, sui occidendi causa, perfractio condonata. Puella nobilis huc è patria per raptum à milite abducta ex turpi quæstu honestè liberata est. Obtulerat se videndum specie boni malus dæmon hæretico malè litterato, atque adeò perquàm propositi tenaci, & ad rogam damnato, nihilquè à proposito desistendum, nihil pertimescendum suaferat, pollicitus, illum se actutum è rogo liberaturum: quo viso ille animum obfirmauerat ita, vt noctem ferè totam è Nostris quidam cum illo colluctatus pene fatigatus abscesserit. Tandem miserante Deo emollefcit: rationi, & Catholicæ fidei paret: antea actam vitam exomologesi peccatorum purgat: ad rogam deductus crucem veneratur: ac tandem fracto lictoris ad strangulandum funiculo, semimortuo brachia defluerant: at cum reuixisset erectis brachijs crucem ori reuerenter admo- uit: innocatoquè ter I E S V nomine animam Deo red- dit, magna populi acclamatione.

COLLEGIUM OCANIENSE.

ROSTITUTA foeminarum pudicitia honestiori loco Nostrorum opera collocata est, & magna ciuium pars, quorum animi acerbissimè dissidebant, conciliati: à quodam arma ad inimicum per filium occidendum, odium etiam Nostrorum hortatu depositum. Mœchus ab adulterio committendo reuocatus. Vir nobilis nefandi criminis falso impositi reus iam iam supplicio plectendus, vnus è Societate industria detecta veritate liberatus est. Angue correpta foemina vnum è Nostris accersiuit: accedentem rogat in posterum differat diem: instat ille, inutilem pro-

craftinationem, vrget tandem vt confiteatur: paret illa libenter: pauculas post horas bono nomine moritur. Honestu puella sese virginitate B. Matris deuouerat, quam diutissimè purè seruauerat: die Expectationi sacro in morbum incidit, accersitur è Nostri vnus, præter cætera, quid sibi vigilanti acciderit narrat: nempe à sinistro latere cubiculi hominem teterrima specie à se visum intentantem minas; & hac voce illudentem, Hæccine Virgo? Imo verò aliud. Contra verò dextera parte pulcherrima forma virgo conspecta, quæ foedum illum abire imperaret, cum diceret sibi notam puellæ honestatem: Contra ille negare, accusare, teporem in orando vespertino præsertim tempore obtendere, tum maximè cum rosario vacaret. At beatissima Virgo alumnae suæ probitatem commendans, hostem abire sauerè imperauit, & re pacata octauo post die, qui natali Christi sacer est, cum perspiciua spe præmij decessit.

TOLETANVM, TAB-
LABRICENSE, ET
Oropes fanum.

DVOBVS prioribus pro exiguo Nostrorum numero laboratur satis strenuè. Ex tertio ad vicina loca missi duo magno cum fructu: maximus tamen collectus est ex Sodalitio charitatis eorum hortatu instituto pro pauperum auxilio, quorum vt erat magna destitutio, sic illo erecto magna est opitulatio.

COL

COLLEGIUM PLACENTINUM.

RES aucta est pro sacro ornatu conseruando redditu aureorum quinquaginta honestę foemina morientis testamento. Amicus item trecentos aureos in annos singulos per septennium ea lege reliquit, vt capitali censuum quos soluebamus (quoad fieri posset) liberaremur. Ex Nostrorum concionibus fructus constitit non poenitendus. Ille eximius quod foemina Nostrum ę concione domum profecuta, orare non destitit, quoad se a turpi vita liberaret: consilijs, auxilijsque ad perseuerandum muniret (quod diuina gratia factum est) vsque adeo vt cum amicus elegancia & pecunia pollens, illam modis omnibus fugientem insequeretur, & in templo inuenisset, ad auremque dixisset destitutum se nunquam ab illius amore, etiam si sciret orcum sibi subeundum, quoad illa more solito frueretur, confirmato animo responderet, commissuram se nunquam vt illum comitaretur; solus si vellet in æternas poenas abiret. Hac ille voce ita animo mutatus est, vt statim religioni nomen dederit, ac quarto post mense multis poenitentia fructibus magno exemplo migrarit ę vita.